

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Johannis Segeri Weidenfeld De Secretis Adeptorum Sive Usu Spiritus Vini Lulliani Libri IV

Weidenfeld, Johann S.

Londini, 1684

149. Spiritus Mercurii universalis cum spiritus Vini igneo mixtus Basilii

[urn:nbn:de:bsz:31-96282](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-96282)

147. Menstruum fætens sale Harmoniaco acuatam Lullii,

R. **D**E G. Vegetabili (*de Mercurio sive sale Harmoniaco Vegetabili*) unciam unam, & pone in Phiala vitrea longi colli, in qua prius posueris uncias tres de E. (*Menstruo fætente sub No. 67.*) & statim obstrue, ut nihil respiret, cum suo operculo, & cum cera communi bene sigilla & postea in B. calido per biduum naturale in Aquam claram dissolutam.

Quemadmodum sal Harmoniacum addidere Menstruis mineralibus simplicibus ita etiam eisdem Compositis.

148. Menstruum fætens lunare sale Harmoniaco Vegetabili acuatam Lullii,

Cap. 14. Practicæ Test. major. Pag. 163. Vol. 4. Th. Chym.

R. **I**N virtute A. (*Dei*) unam unciam Aquæ compositæ Argenti (*sub No. 141. descriptæ*) per alembicum destillatæ, & in illam projice unciam unam de G. vegetabili (*mercurio vel sale harmoniaco*) dissolve, &c.

Basilii Menstrua hæc ita commiscuit.

149. Spiritus Mercurii ex Vitriolo & spiritu vini igneo mixtus Basilii,

Labore 3. libri Revelat.

R. **O**Lei hujus (*primæ materiæ Metallorum ex Venere & Marte confectæ, sive spiritus Mercurii universalis sub No. 132. descripti*) uncias octo, spiritus vini ad summum rectificati (*Menstrui sub No. 19. descripti*) uncias quinque, destilla per Retortam vitream & hoc ter, semper cum novo spiritu, ita ut ad olei uncias octo conjungantur quindecim uncia spiritus Vini ignei.

Para-

Paracelsus sequens Menstruum mixtum confecit pro Arcano Lapidis vel Antimonii.

150. Menstruum mixtum Paracelsi,
Cap. 6. Lib. X. Archidox. Pag. 39.

QUicumque metallicum suum Cœlum (*Antimonium*) ad summum gradare cupit, & in actum reducere, ipse debet primo ex vita, id est, Mercurio vulgi, primum Ens liquidum, cœlestem Ignem, quintam Essentiam Mercurii (*non Solis; uti male legitur*) & acerrimum Acetum metallicum (*Circulatum majus Paracelsi sub No. 51. descriptum*) extrahere, per solutionem cum sua matre, id est, Arcano salis (*sale circulato sub No. 27.*) & cum stomacho Anthionis, id est, spiritu Vitrioli (*menstruum sub No. 98. descriptum*) permiscere, & in eo (*Menstruo mixto*) Mercurium Antimonii coagulatum (*Regulum Antimonii*) solvere digerere, &c.

Ex Receptis observamus,

1. *Menstrua hæc esse diversorum Menstruorum commixtiones.*
2. *Et fieri posse ex omnibus Menstruis Vegetabilibus & mineralibus invicem commixtis ad Artistæ placitum.*
3. *Eò meliora tamen fieri, quo Menstrua fuerint magis tingentia.*
4. *Menstrua hæc per digestionem fieri dulcia & pura Menstrua Vegetabilia.*